



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

X. In Domin. V. Post Epiphan. Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet zizania? Matth. 13. Arg, Campi politici zizaniis horridi lustrantur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

niscor malorum, quæ feci in juventute mea. Si mercator alter examinaret digitos suos, libram suam in sua infirmitate, quam rectus & justus fuerit, forsitan cum eodem ingeminaret: Merito hæc patimur. Nunc reminiscor malorum quæ feci. Si quis alter vitæ suæ rationes discuteret, isdem concinnet: Merito hæc patior &c. Nunc reminiscor &c.

Quocirca si fors sinistra incubuerit, si stringat egestas, si aliæ ingruent

miseriæ, non proximo, non elementis, non forti, sed nobis imputemus. Nostrorum flagitiorum hæc clientela est, & jurata prope pedissequa. Et si inter tot infortunia cervicem surrigente molimur; si prosperioribus favoribus ad portum beatitatis provehi gestimus, si quæ culpa in nobis est, eam prænitentiæ sinceræ novacula rescindamus, & malatiam, ac prosperitatem remigraturam confidamus.

Amen.



## CONCIO X.

IN DOMINICA V. POST EPIPH.

Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet Zizania? Matth. 13.

### ARGUMENTUM.

Campi Politici zizaniis horridi lustrantur.

**I**n naturalis duntaxat ager, sed & mysticus, ac politicus multiplex, ac diversicolor est. A. Unus æque, ac alter jam fuliginem præfert, jam livorem imitatur, jam in ruborem diffunditur, jam in candorem exporrigitur. In campo mundi elementari feritur triticum, spelta, avena, oriza &c. in Politico si sanguine purpurasc, securibus, acinacibus, soleis, sagittis, cornibus horrefcit; si Cæruleus sit, libros, calamos, epomides, sphaeras exhibet; si Nivens

*Charaneur  
in Chatal.  
gloria muni-  
ai*

annulis, fertis, tæniis niter; si Fuscus, rotis, ligonibus, uncis emicat. Summates enim orbem stemmatum condere molientes, ad eos sese campos reflectebant, in quibus auream quis fibulam emeritus esset. Et ita si fortè in pulvere scholastico inclaruit, stemma eidem in campo cæruleo conferebant, vel quod hyacinthinis Superum tentoriis contèplandis deditu observarent, vel etiã quod lividas manus, si nõ tergum identidem domum retulisset.

Rursus si alter in campo Martio natales illustriores merebatur, imagines illi, magnanimitatis ipsius indi-

indices in languineo campo staturabant. Quod si domi in Oeconomia impigre desudasset; eamque haud vulgari administrasset solertiâ, mores illius virtutesque in campo fulco, ac fuliginoso nobilitarunt. Denique si qui fidelitatem suam Domino suo præ cæteris præstitissent, ob candidos innocentisque mores, in campo niveo, annulis, armillisque, aut fibulis aureis donabant.

In his campis, quam impigro labore, sumptu, ac sæpe numero cum dispendio vitæ nonnulli seminant, desudent, atterantur, compertissimum est. Sed numquid semper fructus respondet labori? Numquid semper triticum ex his legitur? Lustremus paululum campos singulos, & excutiamus.

## § I.

*Campus Palladius lustratur.*

II. Primum sese mihi offert Campus curæ meæ ex parte commendatus scolasticus, seu Literaturæ. Novi hunc campum perquam probo, & electo identidem semine, à summo maximoque Patrefamilias Deo donatum fuisse. Scientia enim germen quodpiam divinum est, cælo, non terris prognatum. *Omnis*, inquit Ecclesiasticus, *Sapientia à Domino Deo est*; sive illa quæ inservit usibus humanis, sive illa, quam speculativam indigitamus, sive sacra, sive profana desursum est, descendens à Domino Deo nostro. Ab illo bonorum omnium

*sermo sapientia, alii autem sermo scientiæ, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

Quin & ab ipsa increata Sapientia disseminatum est hoc semen, de quo ipsamet testatur, quod *aliud cecidit in terram bonam, & tulit fructum impatientia.*

Quis ex tali semente sibi non occinat messem uberrimam obventuram? Quis non crederet egerminaturas fertilissimas virtutum spicas? Certum enim est, semen Doctrinæ eò imprimis seri intuitu, ut subinde manipuli prudentiæ, justitiæ, discretionis colligantur.

Vulgo pueri solennissimam vobis jactatis paræmiam.

*Das papier ist mein acker/darumb bin ich so wacker, die feder ist mein flug / darumb bin ich so flug der diatte ist mein samen / damit schreib ich den nahmen.*

*Ager studiorum*

Ego autem ajo, Campus vester princeps est mens vestra, quæ vobis excolenda est studio impigerrimo ac interrupto, ut tandem in novale recipiendis, ac proferendis fructibus aptissimum evadat. Semen est doctrina, qua sacra, qua profana, toties in hunc Campum jactitata; Aratrum profunda exactaque explicatio; Occa iteratæ repetitiones; Jugum, quò hæc omnia trahantur, intentum proficiendi desiderium, Aura secundissima est bona conscientia, in quam solam intrat Spiritus Sapientiæ. Si hæc cuncta in unum conveniant, qui fieri

*Sapientia  
caelitæ  
dispensatur*

*Eccl. 11. v. 2.*

*1. Cor. 12. v. 8.*

potest, quin fructus excreseat, quin ager si non triticum defœcata sapientia minimum avenam popularis proferat scientiæ. Quî fieri potest, ut quis declinet virgam, & non una declinet vitium. & infernum; ut conjuget verba, & non virtutes; ut caleat Emmanuelem, & non unâ infixum habeat nobiscum Deum; ut sit Orator apud homines, & Sigalion apud Deum? &c.

III. Certum item est, quo quis doctior, eo profundius turpitudinem vitiorum perspiciat, virtutisque decus intellectu assequatur. Candelabrum enim quodpiam lumine coruscum doctrina est, quod tenebras discutiat, coloresque animet. Speculum est, in quo futura juxta, ac præterita clarissimè cernimus; nosque quod caput est, ejus beneficio cognoscimus, cœlû est, quo hominis animus, perinde ac sideribus illustratur; ager est, omnis generis fundens fruges virtutum, &c. Numquid ergo doctrinâ effulgente non effugabuntur ignorantia, immo & nequitia caligines? Numquid planum iter, expeditumque non patebit contemplantibus perinde ac in speculo præsentia, præterita, futura? Numquid mera sidera errantia, aut fictitii Hercules, ementiti Ganymedes in eo cælo exorientur? Numquid ager hic si probe cultus fuerit, urticas, loliumque damandâ fertilitate profundet? Numquid in intellectu dignè illustrato voluntas Cimmeriis palpabit in tenebris? Facultates enim appetitivæ sequuntur apprehensivæ, nec facile ejusdem imperiis, aut

luminibus obluetari queunt. Consequens itaque est, ut quantum quisque proficit in scientiis, tantum itidem in vera sapientia, virtutibusque progrediatur.

IV. Sed quid video, etiam hic lapæ proserpunt, ereptant portulacæ, & suis lolium provehitur incrementis. Evenit id campo scholastico sapiusculè, quod elementari. Invenitur in hoc lolium prope gemellum siliginii, aut speltæ, intus prorsus vacuum. Invenitur itidem stipula frumenti optimi supra cœteras spicas sese attollens, verum cerebro farinæ destituta. Invenitur tertium genuinum ipsum lolium, inter sata optima prognatum, eadem opprimens & offocans.

*studia degenerant in vitia*

Æqua omnino ratio est ludi, seu Agri palladici; videre est in eodem personatos quospiam culmos, speciem scientiæ præferentes, sed ipsa veritate destitutos.

Antiquitas apud Latios virtus matritata scientiæ indigitabatur *Conscientia*, quod simul jugata virtus dictamini rationis, seu innatæ inveniretur scientiæ. Subinde virtute emigrante mansit *scientia* sola, eaque speculativa, ac mundana. Tandem & hac evanescente, successere *Entia* rationis Conperit, perit *Sci*, mansere *Entia* sola.

*Ex scientia sola entia superviunt*

V. Typum desumere fas ex Salomone Rege quondam Sapientissimo. Profitetur ipsemet de se, quod sapientia

Eccli. 2. v. 8.

sapientia in illis deliciis, luxuque perseveraverit cum eo: *Sapientia quoque perseveravit mecum* Sed quænam illa mi Salomon? An illa florida, & præstans animi dos; An vitio deformatum, speciosumque cadaver? Non illa utique, sed ista in solo iudicio speculativo, ac contemplatione futuri consistens; & malitiæ atque dedecori, non virtuti modestiæque subseruiens. Mansit in eo sapientia divinitus infusa, sed decolor, & emortua, quæ perditissimam illius duntaxat conscientiam redargueret.

In eadem vestigia non pauci devolvuntur, qui cum sint nonnulla ingenii luce præditi, de virtutibus excellenter disserant, bonæ vitæ, sempiternæque felicitatis viam aliis demonstrant, ipsi tamen mente abusi in voluntariam prope prorunt perniciem.

Scientiarum  
abusus.

VI. Alios arbitrari est, qui perinde ac stipula cassâ ubi paululum labra fonte proluere caballino insipientis sapientiæ typho screpent, cathedras sublimes mera inanitate pleni occupent. Quid his dicam, quam quod mihi evenit. Vidi ego, idque non semel græculos, coturnicesque colophonis ipsius basilicæ, atque adeo Crucis ipsi insidere, & dixi: id plane pro vobis mei Graculi, an non æquius, digniusque, ut ibi Aquilæ morentur ac nidulentur. Vidi passerem in ipso templo sibi tentoria sua concinnare; & revocavi mihi Psaltem occinentem: *Et enim passer invenit sibi domum; dixeritque rursum: plane pro vobis mei pas-*

Psal. 84.

seres hoc templum, quemadmodum pro anseribus cælum conditum est. Nonne decentius foret, ut Philomelæ hospitentur in æde divina, aut turtures, & alaudæ, quam ut passeret altaria occupent. Valerent illæ pro choro, non item isti; nonne passeri quadraret hara potius, quam ara?

VII. Vidi alios è Palladis castris exautoratos, quos ominabar siculo Polyphemo oculo prudentiæ fore cognatos, Germanosque, in confessu sapientum ita versari, ut de ipsis merito jactaretur; habere eos oculum cæno quoquam obrutum.

Deum bonum unde hæc zizania? Non aliunde profecto, quam quod dormientibus hominibus inimicus homo superseminavit zizania. Dormiunt parentes non tam somno corporis, quam incuria, & torpore, quia teste S. Augustino, & experientia, quum filios suos in scholam mittunt, neutiquam iis inculcant virtutem, nec dicunt: *Fili mi discelitteras*, ut habeas unde legere possis Codices sacros; *discelitteras*, ut sis ecclesiæ utilis, aut Reipublicæ. Sed quid? *Discelili mi litteras, ut sis homin, hoc est eminens inter homines, illustris, conspicuus.* Non virtutis, aut animæ, sed pompæ, aut fructus ratio in intentionibus eorum triumphat, non veram, solidamque, sed vanam, futilemque aucupantur scientiam.

Dormiunt forsitan & Didascali, qui fines sinistros sibi proponunt,

aut

S. Aug. lib. de  
discip. Christ  
c. 12.

aut minus scitè, sanctèque informant. Dormiunt ultro sponte suâ discipuli, qui nos ad serium profectum in studijs virtutemque evigilant, nec in alio sagaces esse adnituntur, quam ut perpetrent mala. His profectò præstaret, ut omnis illa eruditio, vel veriùs eruditionis pompa evanesceret, quod contigisse nonnullis scribitur; quàm ut cum scientia sua in tenebras exteriores protrudantur.

## S. II.

*Zizania in Campo Purpureo ventilantur,*

VIII. Progredior ad Campum purpureum, id est Equitum. Numquid in hoc bonum unquam semen defuit? Quid sunt heroica Majorum facinora? quid virtus? quid magnanimitas? quid mortes ipsorum pro patriæ iacolumitate, pro fide, pro religione obitæ? præterquam sementis optima; ex qua ad imitationem eorum nepotes exurgere par esset. Jasonem aurei velleris prædatorem comminiscuntur Poëtæ, interempti draconis dentes consilio Medææ in campo Colchico seminasse, ex quibus hastrata illico prognata acies emerfit.

*Nobilitatis  
Encensum*

*E semine dentium*

*Bellator jaculis campus inhorruit.*

*Horat.*

Et sanguis nobilium, quid est nisi ager Colchicus, in quo ex ipsis serpentis avernalis dentatis assultibus virtutem masculam exacui, animosque heroicis proritari æquissimum foret; ad gloriosi certaminis palmas

exaggerandas. Ipsa enim Nobilitas, ut Majorum ceris illustrat, ita virtute sua ad honesta concitat, ac necessitate quadam nepotes, ne ab illorum probitate degenerent, constringit. Non enim datur nobili Patri palma, sed cursui; & plerumque nobilitas carnis ignobilitatem eliminat mentis.

*No! iilitatis  
visuperiã*

IX. Verùm & huic sementi quanta sunt immixta Zizania? Quot fertilissimis germinibus; id ipsum sanguini evenit, ut identidem in monstra degeneret; & clarissimos atavos infami dehonestet inertia. O quoties hæredes nominis in virtutis colle hærent, Majorumque fastos non nisi fastu exaggerant. Quo antiquior est prosapia, eò plerumque laxiùs deflectit ad vitia. Quò Majorum longior umbra, eò inertes ignominiosius delitescunt Nepotes. Quò insignioribus potiti virtutum instrumentis, eò scelera architectantur insolentiùs. Vos appello ædes sumptuosissimæ; aulæis, ac emblematis Avorum illustratæ famosissimis; vos patrimonia opulenta à Prædecessoribus transmissa, vos thalamos auro argentoque rutilantes appello: Dicite quot in vobis flagitia? quot per vos scelera patrantur? quot vobis testibus, ac intuentibus dedecora committuntur? E Tripode profectò est, quod cecinit Horatius.

*Hor.*

*Ætas parentum peior avis tulit*

*Nos nequiores, mox datura*

*Progeniem vitiosiore*

X, Et hæc quæso unde zizania? Unde? Reverà, quòd dormientibus hominibus

nibus

nibus inimicus homo illa subsemina-  
verit. Ite quæso visite aulas, perspi-  
cite palatia, lustrate vigiliæ, in quo  
eæ versentur? In hoc sanè, ut si fi-  
liolus est infans ab ipsis crepundijs  
eristas erigat, humeros jam in hanc,  
jam in aliam partem torqueat, cu-  
riose sepulchra ac cadavera Majorum  
excutiat, emortuos cineres jactiteti-  
rarum virus in alios evomendum, im-  
bibat, aleam tractare, chartulas lu-  
sorias miscere, aliaque ludicra ver-  
sare calleat. Sin autem filiola; ut  
meretricio quodam luxu vestium  
pompa in scenam explicet; ceru-  
sâ, minioque formam ementiatur,  
cantilenis obscænis assuescat, lubri-  
care in saltum pedes addiscat, con-  
siliario speculo unâ, alteravè hora u-  
ratur; aliisque similibus falcinibus im-  
buatur. Et ubi manent mysteria,  
fundamenta que fidei? ubi pietas te-  
neris instillanda mentibus? ubi timor  
Dei illis identidem incutiendus? O  
peremptores, non parentes! ò equi-  
fones non Chirones! Nonne hoc est  
superfeminare naturæ, tanquam a-  
gro optimo Zizania? Nonne hoc est  
evellere fibras probatissimas, substi-  
tutis deterrimis, ac perversissimis?  
Nonne hoc est illustrissimis ceris fu-  
iginem inducere. Quid igitur mi-  
rum; quod filii Heroum noxæ,  
quod nihil patrium citra nomen pos-  
sident, quod ætas parentum pejor  
avis ferat nepotes nequiores? Si tu  
mi Pater intendis intueri germanum  
Avi nepotem, à teneris ad amuf-  
sim virtutum efformare stude. Eò  
collima, ut appareat id in herba,  
quod in flore, messeque colligere est

animus. Non visurus est Autumnus  
fructum, cui ver haud prætulit flo-  
rem. Si tu item mea mater filiam  
gestis nancisci sanctam, piam, Deum  
timentem, immulge ab ipsa genesi  
virtutis candorem, puritatem con-  
scientiæ, iaporem, dulcedinemque  
devotionis. Si tecapream eidem præ-  
stiteris, nancisceris filiam saltatricem;  
si hybridam, latrantem, infestantem-  
que alios, si porcã sordidam,  
ac luxuriosam. Cum lacte enim vel  
virtutis amor, vel odium instillatur;  
& quo semel est imbuta recens, ter-  
vabit odorem testa diu.

## §. III.

*Campus Nigellus discutitur.*

XI Ab hoc Campo ad fulgi-  
neum deflectamus. In hoc forsitan  
sterilefcit lolium, exuberat triticum.  
Fuere profectò tempora illa, in qui-  
bus inter cives nostrates ad delicias us-  
que effloresceret sinceritas, confiden-  
tia, amor mutuus. Mallebant per-  
dere auram, quam verbo non stare  
semel prolato. Fuit illa ætas, in qua  
Pax, & Concordia aureis fluctuabat  
aristis, in qua cor unum, & anima  
una; in qua plumbea, aut coriacea  
cudebatur moneta, sed aurei for-  
mabantur homines. Fuit ætas in  
qua non tam excolebatur campus  
elementaris, quam anima spiritua-  
lis. Noverant ab Aristippo, quan-  
tumvis ethnico, calumniatori respon-  
sum: *Melius est agrum propter me, quam  
me propter agrum perire.* Quippe  
intuitu ille mei, non verò ego  
ipsius respectu conditus sum.

L

Steri-

*tempora  
præterita  
meliora**plus nivi-  
ta*

Sterilefcatur ille dummodo animus non fit effœtus. Præftat virtutum frugibus, quam frumentorum divitem efle. Fuit ille Autumnus, in quo à talibus arvis legebantur fructus germanæ pietatis, religionisque. Erigite oculos & arbitramini Basilicas, monasteria, pandochia, monumenta antiquitatis, & dicite, quidnam ea sint aliud, præterquam luculenta testimonia eorum in Deum pietatis? Operabantur illi cibum non tantum qui periret, sed qui permanet in vitam æternam. Moliebantur ædes in quibus non tam feri Nepotes, quam Numina hospitarentur. Indignum arbitrabantur accuratiore curâ sibi met; quam superis deservire.

Quanam autem hac temporum calamitate messis cernitur? Quid dico messis? quot adulterina semina? quot pestes segetum hic sese ultro ingerunt oculis? Evanuit illa sinceritas Germana, inque purgamenta fraudum, officiarumque abiit. Degeneravit illa pietas solidissima, inque personarum commutata est; & illa rerum cœlestium studia migravere in officinas vanitatum terrestrium. Infelix lolium & steriles ubi vis dominantur avenæ.

*Incuria salutis*

XII. Unde & hæc zizania? Non aliunde, quam quia indormiunt salutis propriæ, invigilantque in perditionem. Parentes, vel magistri opificiorum studiosissimi sunt in edocendis regulis, inventionibusque suarum artium, remissi in instruendis illis per se, vel per alios in rebus ani-

mæ. Docent discipulos, aut filios ab ipsis prope crepundiis præcepta artis suæ, non item præcepta legis divinæ; docent illos artem, in qua nunquam quiescant in hac vita; non item illam, qua adjuvante semper ferientur in altera vita. Ille v. g. pileorum artifex docet filium, vel discipulum, totum studium, saltemque sapientiæ effundere in pileum, magisque sollicitum esse de capite alieno, quam de proprio. Ille statuarius in multam sese demittit sedulitatem; ut ex ligno rudi efformet Mercurium; ut verò discipulum sanctiorem, modestioremque effingat, vix pensi habet. Ille figulus tornat vascula plurima, quibus aut oleum infundatur, aut flores imponantur, ut verò filius sit vas ejusmodi, eidemque oleum instilletur aut flores virtutum inferantur, susque deque habet. Ille mercator &c.

Ut primum verò à parentum suorum oculo, aut opificii tyrociniò emancipati sunt, tanquam aurea libertatis donati Bulla, multò licentiosius grassantur, societates contagiosas contrahunt, collo contumaci alios despuunt; & si vel verbulo castigentur, ipsos suos superiores sulphure seommatum tigare haud verentur. Veli fortè peregrinati alibi fuerint; cum mantica, qua miseris, & nuditate, qua vitiis, pravisque assuetudinibus refertissima repedant. &c. Hinc irrequietas Sathanâ agente excubias in eorum pernitiem, non superfeminatur duntaxat, sed & irradicatur vitium, cum ætate adolescit, & sæpe non nisi

*Consuetudo prava*

cum



cum senectute emoritur.

§. IV.

*In Campo Candido Codicum  
exhibetur.*

XIII. Superest campus niveus, dispenfatus Circumpedaneis ob eorum insignem fidelitatem. Hunc si fortè Sapiens hac tēporū periodo, suō lustraret oculō, credo nec quicquā aliud, quā quod quondam de quopiam alio egurgitavit, relaturum. *Per agrum pigrum hominis transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urtica, & operuerunt superficiem spina.* Quid enim sunt querelæ illæ, exonerataque in ipsum dominium perjuriam? Quid contumax ad imperia Patrisfamilias voluntas? Quid oscitans ille, vel etiā fraudulentus animus? quam purgamenta, vitiumque tritici desideratissimi? Et hæc nihilominus tanta cum ubertate quovis prope in dominio luxuriant, ut synonyma prope esse videantur servus & nequam; servus & contumax, servus & infidelis.

*Prov. 24. v. 30.*

*Servorum vitia.*

*Matth. 24. v. 45. Luc. 12. v. 42.*

XIV. Revera non citra fundamentum jam olim inquisiverat Dominus: *Quis putas est fidelis servus & prudens? Quis ille est, qui prospiciens damnum quodpiam emergens domino, & germanè præcaveat? Quis est, qui prævidet periculum, & moneat? Quis est, qui non ultro incuriā suā inferat? vel desidiā suā non avertat? Quis putas est fidelis servus & prudens? Quis ita domini sui commodo, perinde ac proprio invigilat?*

Quis sibi religioni ducit, frigide, remisseque manū operi admovere, horas aliquot indies otio transigere, pecora negligere? *Quis putas est fidelis servus, & prudens? Est ne is qui tenuioris fortunæ colono famularur? At hi non multum curant, tametsi ipse paterfamilias dispereat, dummodo sibi met bene sit. Est ne is, qui diviti inservit? Et hi sapiuscule invigilant, quā ratione res suas augeant, dominique accidant. Est ne vernaculus, aut serva? Quisquis sit, rarus est, & auro appetiendus.*

XV. Quæsit olim Salomon Mulierem fortem in extremis orbis limitibus. Et apud nos jam eo res devenit, ut servi aliunde quærendi & subarrhandi sint, barbara enim, & mediis in silvis inter belluas nata, educataque mancipia, serpentumque pasta aconito fideliora identidem inveniuntur, quem Christianorum. Præstat pro pudor sæpe habere servum paganum, vel heterodoxum, quam Orthodoxum.

*servus natus bonus*

Unde hæc Zizania? unde tot vitia? Quid percontor? Inde sanè quod dormiant homines, quod patresfamilias illorum saluti consulere negligant. Ad labores urgentur, non pro festis tantum sed & sacrationibus Calendis; ita ut à divino famulatio sapius retardentur, immo vix tempus illis suppetat, ( ut vulgo ajunt ) se cruce muniendi. Quomodo ergo excrefcet, egerminabitque virtus sublatâ pietate, quæ omnis virtutis fundamentum est? Quomodo aditus

inimico homini, id est Sathanae non laxabitur, Deo prorsus excludo, aut alienato? Quâ ratione purgamenta tritici non differet, advocatus imprimis tot imprecationibus, quâ dominorum, quâ famulorum?

*Dei longanimitas*

XKI. Connivet interea ad tantam vitiorum luxuriam coelestis Paterfamilias, nec extirpare ob discrimen impendens tritico indulget. *Sinite*, ait, *utraq; crescere usque ad messem.* Dissimulat noxam, differitque poenam benignissimum Numen, & patientiae solatium dilatione ultionis praestolatur. Per inducias suae justitiae emolumentum expectat, emendationem iniqui, correptionem justii. Ideo enim omnis iniquus esse permittitur, ut aut ipse corrigatur, aut per eum bonus exerceatur. Non est sterilis Deo patientia sua, tolerat Deus malos, ut vel fatigatione sui illos voluptatum, scelerumque suorum tædeat; vel ut justii periculo malignitatis in alieno capite facto, felicissimè cauti, aut resiliant à vitiis in imagine sua damnatis, aut properent ad virtutem, provocati deformitate, injuriisque depravatorum. Obstetricantur enim vel invitii mali bonis, dum eos exacerbant, ampliantes patientiam, amplissimam meritorum penam. Nec secus quam paleae in aurificis camino aureo metallo, aut spinæ rosæ, adversitates commodant justo.

Attamen utut divina Nemesi indulgeat, hora misericordiae ac lon-

ganimitatis deproperat, justitiaeque approximatur, idque hoc graviore manu, quo graviore pede.

Quocirca cum Hymnographo adhorror; *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Exinanite Domini studiosi, literatque omnes lolum inutilium, ac vanissimarum intentionum vestrarum, herbam licentiae, ac petulantiae, purgamenta desidia ac socordiae. Exinanite Domini Nobiles animos degeneres, adque heroicarum virtutum messem profereendam enitimini. Exinanite Patresfamilias simulate, technas, machinationes, nimiam rerum temporalium sollicitudinem, sinceritatisque, ac veræ pietatis novalia ferite. Exinanite famuli, famulaeque infidelitatem, murmuraciones, obrectaciones, torporem, malevolentiam, & spicas statui vestro consentaneas proferte satagite. Exinanite universi, quia ecce jamjam Libitina falcem exacuit, intentura certò, nisi praeviamus. Exinanite, quoniam breve momentum superest, quo mittere filius hominis, summusinquam Paterfamilias Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, seu de campo ejus omnia Zizania, mittentes ea ligata in fasciculos, in caminum ignis ardentis, triticum in horrea caeli congregantes. Exinanite, ne ignis in conspectu ejus exardescat, devoretque terram vestram cum semine suo. Quod à nobis piissimus clementissimusque Assertor noster virtute passionis, ac mortis suae avertere misericordissimè dignetur.

Amen

CON-

*Psal. 136, v. 7*